

**Disputatio theologica, de  
continuatis responsis ad  
exceptiones Theodori  
Bez...**

Svenonius, Enevald,

*11 Ae 8:o Svenonius*



IN NOMINE JESU!  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
De  
CONTINUATIS  
RESPONSIS AD EX-  
CEPTIONES THEODO-  
RI BEZÆ CIRCA CAUS-  
SAM MALI:

*Quam*

Dei O. Max. Auxilio,  
*In Regiâ Academiâ Aboënsi,*  
Cum consensu Rev. Facult. Theologicæ,  
P R Æ S I D E

E NEVALDO SVENONIO,  
Q. G. A. S. S. Theol. Doct. Prof. Prim.  
& Ecclesiæ Aboënsis Pastore,

*Defendere conabitur*

MAGNUS G. SAMPNI  
Wex. Smol.

*In Audit. Max. ad diem 7. Febr.*

*A. xci. svovias 1680.*

ABOË,

Impressa apud Vid. B. Hans. Acad. Typ.

*Israel Tornelius*



*Reverendissimo in Christo Patri  
ac Domino*

**DN. M. JONÆ SCHARINIO,**  
Diœcesios Wex. Episcopo Eminentiss.  
Consistorii Ecclesiastici Præsidi æqvissimo,  
Mecœnati ac Patrono multis nominibus  
æternùm suspiendo.

*Adm. Reverendo ac Præclarissimo Domino,*  
**DN. M. JONÆ ZEPHYRINO,**  
Templi Cathedralis Pastori, dictiq; Con-  
sistorii Seniori ac Diœcesios Archipræ-  
posito amplissimo.

*Pl. Reverendis ac Clarissimis, Reverendissq;  
paritèr ac Eruditissimis Viris,*

**DNN. M. M. Consistorii Adessoribus, Gymna-  
sijq; Lectoribus & Adjunctis celeberrimis.**

**DN. M. DANIELI ANXELIO,** Pastori  
in Odensis meritissimo.

**DN. M. SVENONI FAGELINO,**  
Pastori in Nydshy dignissimo.

**DN. ERLANDO COLLIANDRO,**  
Pastori in Hallernd vigilantissimo.

**DN. PAULO FREDERICO,** Pastori  
in Siunga laudatissimo.

**DN. BENEDICTO JUNELLIO,** Sacel-  
lano in Siunga & Hampna commendatiss.

*Patri, Promotoribus itidèm ac Benefactoribus  
plurimum colendis honorandissq;*

**VITAM, ANNOS, FELICITATEM!**





SALVETE

Meccœnates ac Evergetæ Optimi!

**C**irca Novi Anni auspiciam,  
quod S. S. Trias nos jubeat  
auspicari faustissimum, so-  
lennis nostratibus est consuetudo, Be-  
nefactores strenis donandi benevolen-  
tissimos. Quod ad me etiam spectare  
non diffiteor, Vobis, Meccœnates  
ac Evergetæ perquam Colendi,  
majora, quam expectaveram, debentem,  
majoraque quam unquam expecta-  
vero, debiturum. Meum unicum vo-  
tum est, gratiam vobis de me optimè  
meritis posse referre. Quod siimple-  
vissim, satis superquè habuissim. Ast,  
quid Ego tot ac tantorum beneficiorum  
vestrorum Cumulatissimus, vobis re-  
feram? Cum igitur mihi nox sit, quo  
debitum dissolvam, Disputationem hanc

Theo-

*Theologicam, Nominibus vestris  
Amplissimis, Strenæ loco, Conse-  
crandam judicavi; non tamen merito-  
rum vestrorum multitudinem co no-  
mine Compensatum iri existimans, sed  
animi saltem mei gratitudinem Vobis  
factum iri testatiorem. Eâ proindè  
animi Subjectione officioq̄, quo par es,  
vos rogo & obtestor, ut hasce Anni  
primitias oculis Vestris modestè sub-  
jectas, animis benignissimis excipere,  
meque eodem, quo antea svecistis, fa-  
vore amplecti haud dedignemini! De  
cetero, Deum Ter Optimum Maximum  
supplex Venerabor, ut Vos, Mecœ-  
nates ac Evergetæ propensissimi,  
salvos & incolumes in Nestoreos usq̄  
Annos conservet! Felicissimi Deoque  
Charissimi Valetè! Faveteque*

*Humilimo Vestro*

*Officiosissimoq̄; Cultori*

*MAGNO G. Hampn  
Resp.*

## RESPONDEMUS.

1. **E**T quidem in defensione *B. D. Jacobi Andrea* adversus criminationes. *Beza a.* Quasi ille vel intermisticos vel Synergisticos errores propugnaret, docendo Dei gratiam ita in Evangelio offerri, ut eâ oblatâ, in Hominis potestate sit, per eandem, eaque necessaria sunt præstare, inq; illius esse potestate, velle se convertere; quod certè de tam puro confessore cogitare & suspicere, ne dicam scribere & evulgare, impudentissimi ingenii sit. *β.* Aliud igitur est oblato verbo, omnibus cor aperiri, sc. actu; aliud voluntatem Dei esse, ut aperiatur; prius ex *Beza* efficitis, posterius ex *Andrea* verbis ritè intellectis elicitur, voluntas n. convertenda naturalitè æquè resistit causæ convertenti, actualitè verò & *προαιρετικῶς*, dissimilitèr. *γ.* Aliud idem est, omnes à Patre trahi; aliud omnes qui veniunt ad Filium, à Patre

D d

trahi,

Disput.

XIV.

Resp.

MAGNO

Hampn

Smol.

trahi: prius dicitur in confessorem, ab adversario, posterius asseritur ab Andrea cum scripturis. *Idem* Denique, aliud est, Filium sese omnibus revelare; Et Filium sese revelare non Mundo, sed discipulis suis. Prius affingitur confessori per delirium, nè dicam mendacium; posterius affirmatur ab orthodoxo confessore *Andrea*. *Idem* Datum quoq; fuerat turbis, ut Mysteriorum Regni Dei noscerent, quippè perseverantibus usque ad Concionis Christi finem ac verum intellectum parabolarum haurientibus ex ore veritatis. Reliquis verò quippè audientibus verba parabolarum, ac sensum salutiferum aspernantis, datum fuit audire Mysteriorum saltem per parabolam.

Unde constat Laborare Syllogismum priorem adversarii, insufficienti enumeratione partium, dum scribitur: *At vires istas si putat D. Andreas homines habere à naturà, totus Pelagianus est, si partim ex naturà partim ex gratià, Semi-Pelagianus: quod*

*neutrum*

*neutrum tamen velim illi adscribere, quamvis non videam, quinam ista ex ipsius dogmate necessario non consequantur: nam si hanc gratiam singulis vult offerri, rursus eadem questio recurret; cur videlicet hæc gratia sit in aliquibus efficax, in aliquibus non item: quod discrimen vel ex naturâ oriatur in solidum, vel ex gratiâ quidem, sed inæqualitèr distributâ &c.* Respondeo addendo supplementum orthodoxum, quod suffuratus est adversarius: vel ex Gratiâ intentione Dei æqualitèr dispensatâ, sed inæqualitèr admissâ & acceptatâ ab auditoribus. Etenim omnes homines, proh dolor, nati sumus potentiâ activâ resistendi Spiritui S. conversionem per verbum & in verbo operaturo, carnali & originali sc. concupiscentiâ adversus spiritum, Rom. 8:7. Gal. 5:17. Omnibus item hominibus nobis, ut Deus culpâ vacet, offerri dicimus, nunc mediatè nunc

immediatè gratiam, cum aliquâ ipsius recipiendæ possibilitate, quam nos appellamus potentiam passivam recipiendi salutis mediæ, seu Gratiam primam, ne fiat progressus in infinitum, nec semper requiratur alia gratia priorem introducens, quam qui recipit, accipiet ulteriorem juxta illud Matth. 25: 29. *Habenti dabitur & abundabit; ei a. qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.*

2. Quòd distingvat adversarius inter Adami peccatum & lapsum ejus, nihil est: ne præsidium quærat in lapsu passeris seu struthionis in terram non sine patre cœlesti Matth. 10: 29. ut fecit superius pag. 152. Nam nunc non est sermo de lapsu naturali, sed morali, quorum uterq; præscientiæ & providentiæ divinæ subijcitur, sed diversissimo respectu: non namq; æqualitèr providentiæ Dei concurrunt ad actus naturales o. rerum agentium, & malos actus: illi n. Dei voluntatem agnoscunt complacentiæ; hi permissio-

nem

nem, sed voluntatis displacentis. Conf. Disp. I. de *induratione*. Quinimò, quamvis struthio perit non sine voluntate patris cœlestis, id est, moritur *naturalitèr*, perit tñ. homo infidelis, id est, spiritualitèr moritur, hoc est, damnatur, præter & sine, imò contra voluntatem Dei antecedentem.

3. Reperisse se non quod pueri in fabâ credit adversarius in dicto *Augustini*, nempe: *Miro & ineffabili modo fieri ut non fiat præter Dei voluntatem, quod fit contra Dei voluntatem.* Quod sic interpretatus est alibi sc. pag. 153. *Generalitèr affirmamus neq; invito neq; ignorante, neq; otiose præsciente Deo, lapsos esse primos parentes, aut quicquam in mundo evenisse, evenire aut unquam eventurum fuisse.* Et paulo post hanc addit *ἐπιγνώρι*, quia non fieret si non *sinceret*, nec utiq; *volens* finit, sed *volens*. Respondemus α. Allegando Annotationem D. *Andræ*: Quòd primi parentes nostri volente Deo peccaverunt, hoc est, quod Deus voluerit ut transgredierentur præceptum in

paradiso de fructu arboris scientiæ boni & mali à Deo traditum: hoc nusquam Spiritus S. in universâ scripturâ sanctâ docet. *β.* Vox *invitus* sumitur non solum pro coacto, sed etiam pro involuntario ut h. omninò Adam lapsus est Deo *invito* id est, præeunte spiritu Dei in scripturis: *Non volente Deo* Ps. 5: 4 *γ.* Quod attinet *permissionem* Dei, aliud est velle vel voluisse Lapsum Adami; aliud eundem suæ libertati permisisse, prius ex posteriori concludit summâ impietate adversarius. Nos Negamus cum scripturis prius, posterius cum iisdem concedimus. *δ.* Et hoc idem est quod vult dictum *Augustini*: *Non fieri præter voluntatem Dei, quod fit contra voluntatem ejus*, id est, non fieri sine ejusdem permissione, quæ quo pacto omnem peccati seu mali causalitatem excludat, prolixè demonstratum fuit in disputatione hujus tractatus primâ

4. Criminatur adversarius sibi affligi indefinitè se scripsisse, *in Reprobis* cum in. scripserit: *in nonnullis ex repro*

*bis intelligentiam excitari ad percipienda & credenda qua audiunt, quasi vox indefinita Reptobi non queat sumi vel collectivè pro generibus singulorum, vel distributivè pro singulis generum: etenim nuncupando vocem indefinitè, propria vineta cædit. Quod iridem de generali & historicâ fide diabolis communi, & non aliâ intelligendum esse, tam est falsissimum, quam verissimum ex ore veritatis prolatum: προσαίρεσις habuisse veram & salvificam fidem. Luc. 8: 13.*

5. Protestatur adversarius sibi obijci ab *Andreâ*, facere se promissiones omnes particulares, id est, ad Electostantū pertinentes, ac nescire, an sit in numero Electorum aut Reptoborū comprehensus. Et porro convitari *Andream*, dum concludit, piis omnibus cavendum esse ab eâ doctrinâ,

gignendis erroribus tam foecundâ, quod hominibus non solum substantiam & usum Sacramentorum verum, sed etiam totum Evangelium unâ cum Christo eripiat & eos omni consolatione privet. Nichilq; aliud ad id regerit quam a. hoc non esse placidè disputare sed convitari: quasi verò, vocem veritatis profiterij intrepidè, ut revocetur ovis perdita ab erroribus suis, convitium sit, atq; ita justificatur sapientia à Filiis suis. β. Expostulare cum D. Andrea dicendo: *Cedo, quasnam iste consolationes ejusmodi tentationibus opponit? Eas profectò quas facile non Satan tantum ferat tentatis de sua Electione proponi, verum etiam ipsemet suggerat, ut vel falsa fide nitantur, vel in altius desperationis barathrum ruant.* Ast cedo tu Bez, utra propositio plenior solatij cunctis miseris peccatoribus sit?

An

An Deum velle omnium, id est, singulorum hominum in Christo miseri-  
 ri? An saltèm quorundam? Item: An  
 Deum cunctos homines vocare ad Ec-  
 clesiam? An quosdam? Item: an Chri-  
 stum esse mortuum pro omnibus, etiam  
 damnatis? An tantùm pro Electis, qui  
 pauci sunt? An potuisse Reprobos, si  
 voluissent, admittere media salutis,  
 seu gratiam primam, damnationem e-  
 vadere atq; effugere: An, non potu-  
 isse eosdem damnationem effugere,  
 sed peremptoriè destinatos ut causã,  
 id est, patrandis peccatis; ita effectui,  
 id est, æternæ perditioni &c. Credo  
 quòd priores tentatis de suã Electione  
 certiorationis de salute suã pleniores  
 fuerint, ac posteriores. Quinimò, B.  
 Dn. D. *Nicolaus Hunnius* in suã  
*Διακρίσει* de Fundam. dissensu Luth. &  
 Calv. argumentis demonstravit, sub  
 particularibus istis promissionibus E-  
 vangelicis, neminem in individuo de  
 se subsumere posse, se esse Electum &  
 saluum fore.

6. Falsissimum etiam illud est, suâ doctrinâ D. Andream tollere *particulare decretum Electionis, id est, ipsam Electionem*: Quasi verò universalis gratia Dei omnibus oblata, & particulare decretum de salvandis credentibus Saltè, opposita fuerint, & non subordinata:

7. Provocat adversarius de æternæ & immutabilis Electionis suæ certioratione, ut vocat, *a.* ad Rom. 8: 1. 11. 29. unde supponit Electos non vivere secundum carnem, quod de Mariâ Magdalena, Publicano & Petro affirmare non potest, neq; se ambulaturum secundum spiritum usq; ad extremum vitæ habitum, posito quod non esset hæreticus, jurare intallibilitèr aut certo certius sibi polliceri potest: aut quibus demonstrare poterit ijsq; documentis invictis in se tanquam templo habitare spiritum Dei? aut seipsum ita præscitum ab æterno, ut immutabilitèr & absolutè sit prædestinatus? hoc fiet ad Calendas græcas, quamdiu propositiones Evangelii

vangelii particulares statuat.  $\beta$ . Ad 1. Cor. 2: 16. ubi mentem Christi habere dicuntur Apostoli & omnes regenerati;  $\gamma$ . Verum argumentari à Renatis ad Electos N. V. C. Multi enim sunt vocati, id est *omnes*, vivocis Judaicæ Dan. 12. 2. Joh. 5: 28. 29. Rom. 5: 19. Et multi sunt *Renati* ex vocatis, sed tm. pauciores Electi.  $\gamma$ . Ad Eph. 1: 5. Unde sic videri vult argumentari: Quem Deus elegit ab æterno, sibiq; in filium adoptavit; eum suæ salutis certioratio non potest fallere: atqui me, *Bezans*, Deus elegit ab æterno, sibiq; in filium adoptavit. Ergò, me meæ salutis certioratio non potest fallere. Respondeo: 1. Majorem p. valere de certitudine in intellectu divino non humano, nisi *ὁμοθετικῶς*; valereq; non nisi de experienciâ ultimâ ex *κεκτημένοις* veræ & salvificæ fidei. 2. Minor petit principium, quamdiu non credit Deum omnium & singulorum in Christo velle misereri.  $\delta$ . Ad. 2. Tim.

2: 19. *Firmum fundamentum stat.* ὁ  
 μὲν τοι στερεὸς θεμέλιος τῷ θεῷ ἔθηκεν, ἔχωρ  
 τὴν σφραγίδα πάντην, ἔγω κύριος τῶν ὄν-  
 τας αὐτῶν. Dico: 1. Firmitas resp.  
 Dei inteligitur 2. Quod probatur,  
 quia ipse cognovit qui. sunt sui, sc. à  
 priori, nos non nisi à posteriori, cer-  
 titudine tn. firmâ, sed hypotheticâ. 3.  
 Probatur item, quia loquitur de fun-  
 damento Dei, quod ipse cognovit,  
 non quod Beza aut socii ejus cognove-  
 runt. 4. Ad 1. Pet. 1: 2. loqui rursus  
 etiam hunc apostolum de προγνώσει  
 seu præscientiâ Dei de ijs qui sanctifi-  
 cantur per ῥαντισμὸν αἱματος Ἰησοῦ χριστοῦ.  
 Argumentari verò à firmitate præsci-  
 entix divinæ de sanctificandis & sal-  
 vandis, ad infallibilitatem cognicio-  
 nis, seu certitudinem de suâ salute, et-  
 iam eorum, qui statuunt Deum volu-  
 isse lapsum Adami & quorundam ex po-  
 steris misereri, non universorum,  
 N. V. C.

3. Ut probet Adversarius, dulcif-  
 simum

simum nomen illud Electionis per D.  
*Andreas* doctrinam ex S. literis expungi,  
 opinatur *a.* Hunc statuere Deum non e-  
 ligere qui singulos nullo prorsus excepto tra-  
 hat. Respondeo: 1. Hanc propositio-  
 nem non esse universalem novit D. *An-*  
*dreas* informatus à Spiritu S. Joh: 6,  
*Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit*  
*me, traxerit eum, id est, quidam veni-*  
*unt.* 2. Vox trahere ergò est æquivoca, si-  
 gnificat n. vel Deum omnes & singulos  
 pædagogicè ad Christum, adducere  
 velle; vel actu ipso convertere: prius  
 concedit D. *Andreas*, posterius ei affin-  
 gitur ab Adversario *Bezà*: Aliud n.  
 longissimè est, Deum omnes homi-  
 nes vocare & convertere velle Matth.  
 23: 37. Aliud actu omnes & singulos  
 convertere, prius est voluntatis ante-  
 cedentis, seu Misericordix, posterius con-  
 sequentis seu justitiæ respicientis ordi-  
 nem à Deo sancitum vel acceptum  
 humiliter vel repudiatum superbè Joh.  
 5: 44. *β.* Docere, eos demum colere  
 Deum

Deum, qui universalem illam externâ vocatione oblatam gratiam receperint, adeoq; sic prius vocari homines quam Electioni destinentur. Respondeo: Dist. inter. Electionem æternam & Temporalem; illa fundatur in Dei præscientiâ Eph. 1: 4. Hæc in providentiâ ejusdem & actuali justificatione, Salvatione & glorificatione, Rom. 8: 30. Ergò diverso respectu, vocatio per verbum Electionem, & sequitur scil. illam; & præcedit sc. hanc, absq; omni pervertendâ omnium nostræ salutis causarum serie, ut ex ignorantia Elenchi criminatur temerarius iste D. Andrea adversarius Beza. γ. Pendere sic Electionem ab hominum ipsorum arbitrio, si tribui dicatur à Deo singulis hominibus potestas credendi vel non credendi, ut Fides sit durâpi. singulorum sine exceptione hominum, actu vero duntaxat eorum, quib. libuerit Deo ad credendum, non secunda alicujus particula.

*vis primam confirmantis, sed primæ illius universalis gratiæ vi cooperari*

Respondeo: 1. Quemadmodum conversio nostra; ita Electio non pendet à nostro arbitrio, ne gratificari, id concedentes, videamur, ut antea objecit adversarius D. Andreae, *Pelagianis*; non n. æqualitèr potestas à Deo singulis hominibus tribuitur credendi vel non credendi, quinimò primùm notamus, potentiam non credendi seu potius impotentiam credendi, non esse à Deo, sed à Diabolo & corruptâ naturâ nostrâ, seu habitu peccati originalis, potentiam verò passivam credendi salutaritèr, non connasci nobiscum, ut suprâ inculcatum, sed saltèm potentiam admittendi Media salutis, quæ quia in actualitèr inæqualis est, quamvis originalitèr uniformis, hinc oritur Resistentia in alio Minor in alio Major. Deinde primæ gratiæ semper adest Spiritus S. pulsans januas cordium nostrorum, conans removeere objcem, intrare & nobiscum conversari. Apoc.

2. Fidem esse *δυνάμει* singulorum sine  
 exceptione hominum, actu vero dun-  
 taxat eorum qui convertuntur, dicere  
 neq; absurdum est neq; consolatione  
 vacuum; sed *δυνάμει* credendi maximæ  
 hominum parti, negando universa-  
 lem Dei Misericordiam, subtrahere  
 unâ cum actu, id mihi demum despe-  
 rationem gignere in animis multo-  
 rum hominum evidentissimè videtur,  
 & universam consolationem solidiorem  
 extinguere, quod omnes miseri *Beza*  
*Fratres* procul omni dubio experien-  
 tur. Consequentia etiam quæ nostro  
 solatio opponit adversarius, non no-  
 bis; sed sibi ipsi solidæque consolatio-  
 ni impedimento sunt, quippè *ελεγοδό-  
 ξως* intellecta; utpote a. *Non quicumq;  
 exterius vocantur trahi intus à Patre.* Quem  
 aphorismum nostrum *Lutherani* ita  
 intelligimus, quod Gratia convertentis  
 primæ objectum adæquatum sit obex  
 naturalis, inadæquatum verò obex actu-  
 alis, utrosque semper ordinario modo  
 æqualitèr amoliri satagit; quippè om-  
 nis

mnis Dei vocatio per verbum efficax est, nullaq; datur inefficax: *virtus n. est sermo Dei*, Heb. 4:12. Item *Spiritus & vita Ioh. 6: 63*. Verùm quia actualis obex in multis subjectis tam duræ ac robustæ oppositionis sit, ut eadem Gratia maneat *Resistibilis*, ac tandem idem obex inexpugnabilis fiat, non vitio gladii vibrantis; sed Nodi occallentis. Eundem verò Aphorismum *Calviniani* longè aliter intelligunt, culpam sc. reijcientes non in hominem Reprobum, sed Deum, ceu causam primam mali, exterius vocantem quidem, sed vocatione inefficaci, intus verò nolentem illuminare atq; ad se trahere peremptoriè damnationi destinatum: Reliquos verò quamvis pessimos & naturâ & actu, *irresistibili gratiâ convertere*; quod & placet *Arminianis*.

10. *β. Nec Filio dari omnes, sed duntaxat credituros suo tempore: dicit n. Christus Ioh. 6: 37. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Etiam bifariam intelligitur, vel sensu heterodoxo cum *Bezâ*,

Es

ergo

ergò reliqui qui non veniunt, à Patre Christo non sunt dati, neq; seriò vocati: vel sensu orthodoxo cum D. *Andrea*, videlicet 1. Quòd Pater det filio credentes, non *absolutè*, sed *ordinatè* per Fidem. 2. Non Dei vocatio ἀνομοκρίτως. Matth. 23: 37. Joh. 5: 40. Sed hominum incredulitas in causâ est, quòd reliqui Christo non dentur Joh. 3: 17. 18. 3. Aliud est Diligi & redimi à Patre & Christo, quo spectat universum genus humanum; aliud dari Christo à Patre, quòd pertinent solùm credentes & electi, qui pauci sunt: Nam, *Fides non est omnium* 2. Thes. 3: 2. Ubi causam rare Fidei non in Deum vel vocationem ejus rejicit, sed in hominum propriam malitiam, ut ex verbis immediatè antecedentibus luculentè constat: *ἰνα ρυθώμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πνηρῶν ἀνθρώπων. cœterum omnibus offert Deus Fidem, Act. 17. sc. per verbum.*

22. γ. *Nec Filium quibusvis revelare Patrem, sed ijs demum quibus vult, quod ipsorum Israëlitarum tristif-*

*simo exemplo constat, ne omnes quidem qui promissionem auribus audiunt, esse promissionis Filios, id est, promissioni destinatos. Respondeo:*

*a. Quòd Deus verbum & agnitionem Christi abscondit à prudentibus, non fit ex absoluto & destinato consilio: sed ß quia sapientes hujus mundi Evangelium Rident & pro stultitiâ habent. 1. Cor. 1: 18. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes v. 21.*

*γ. Israëlitæ erant filij promissionis, duplici respectu, primò respectu promissæ habitationis in terrâ Cananæa; secundò respectu possidendæ terræ viventium in Regno cœlorum in æternū: priorem quod attinet, aliud discrimen observandum erit: aliæ n. promissiones sunt absolute, quæ à solo Deo dependent, & non habent annexam conditionem fidei: implentur a. propter veritatem Dei, sive homines credant sive non: Talis fuit promissio in V. T. Judæis facta de exhibendo Messia &*

traditione terræ Cananæ, Aliæ sunt *conditionales*, quæ non implentur, nisi conditio fuerit impleta: talis fuit promissio de libertate, felicitate & perpetuâ possessione terræ Canaan Deut. 28. quæ aliàs appellantur legales.

Aliæ deniq; sunt Evangelicæ & verè gratuita, quippè quæ sine conditione operis gratis hominibus offeruntur, fide amplectendæ, Rom. 4: 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam, firma sit promissio omni semini.* Fides a, requiritur, non ut qualitas, habitus, actio, actus, aut ulla conditio operis aut meriti, sed in solidam & solùm respectu ordinis, quia ὄργανον seu instrumentum est, quo fruimur in amplectendis Christi beneficiis agendo & patièdo imò resurgendo &c. promeritis atq; oblati. 2. Cor. 1: 17. *In Christo Iesu sunt omnes promissiones ita & Amen.* Priorum promissionum Filii erant Israëlitæ, & quidem prioris omnes ingressi, posterioris obedièntes, hujus solùm credentes.

22. *Multos vocatos, paucos Electos.*

Respondeo: *α.* Ex horum verborum ne unicâ quidem syllabâ probari posse Christum statuere duplicem vocationem; verum unius saltêm & ejusdem, vocationis universalis, ex valore hebreæ aut Syriacæ vocis *Col*, pro varietate objectorum, diversum & variarum eventum: *β.* In parabolâ Matth. 22. Christum expressè docere, vocationem ipsam, unam eandemq; seriam esse in Deo ipso: frustrationem *α.* vocationis, non in ipso vocante, sed residere in ipsis vocatis. *γ.* Dum igitur adversarij, verba illa: *Multi vocati, &c.* â coherentiâ textus separant, fallaciâ divisionis seducere tentant incautos, ne dicam, profundâ errant ignorantis Elenchi.

23. *Nec verius esse posse: singulos exterius baptisatos aquâ, esse spiritu baptisatos, quam circumcisos singulos carne, fuisse quoq; corde circumcisos: &c.* Resp. quinimò, loquendò de in-

fantibus, quibus post Abrahamum ordinariè Sacramenta initiationis compete-  
 rebant, Deo æqualitèr fuisse confæde-  
 ratos, tam circumcisos quam baptisa-  
 tos, nos credimus indubiè; adversarij  
 cum Bezà contra Dei Φιλανθρωπίας cha-  
 ritatem, horribili periculo negant. No-  
 ta est etiam historia modernorum Rin-  
 thelio Marpurgensium, deficientium  
 ad Calvinianos A. 1662. Negantium scil.  
 omnes legitimè beptizatos, verè rege-  
 nerari, contra quos ἐπίκεισιν scripsit  
 Fac Theol. Witeb. cui quoq; ὁμολῶντες  
 per plurimi orthodoxi theologi stan-  
 tes, suâ addidere judicia suffraganea  
 conf. meum Artificium Delilæ contra  
 Duræum & Mellet. hic loci impressim.

14. *Quinam sibi persuadere potu-  
 erint, falsam illam universalis sive E-  
 lectionis, (quod sanè dictu ridiculum  
 est, quum eligere dici non possit quis-  
 piam qui nullos rejicit) sive vocati-  
 onis gratiam, quam toties jam dixi,  
 nisi ad solam universitatem Electro-*

rum restringatur, debere potius indefinitam dici? nempe ut sic noverimus omnes illas circumstantias, quæ προσωπων nomine in S. literis intelligi consueverunt, ut Gentium, sexus, ætatis, paucorum vel multorum, gravium vel leviorum peccatorum, quum agitur de Dei Misericordiâ cessare, nec fidem & spem nostram ullo modo remorari vel impedire debere. Resp.

Quod singulæ hypotheses hæ falsæ sint  
 α. Sapponit n. Electionem & vocationem æquè lata esse, quis n. nostratum Electionem contra expressum Dei verbum: *Pauci Electi*: unquam appellavit universalem? β. Falsum falso superstruit, Electionis sc. vim expirare, quia statuimus Deum per universalem gratiam nullos rejicere. γ. Utrumq; inter nos definiente verbo Dei verum esse: Electionem esse particularem, propter paucos credentes, & multos infideles reprobos, nullos v. rejici propter

pter vocationem universalem. 7. Concedit quidem Gratiam quandam dari universalem, sed debere dici indefinitam potius docet, ut eam vel extenuet vel annihilat, quippè cessare sub eâ retentâ, omnes particulares Circumstantias hominum & peccatorum. 8. Quasi verò differentia hæc non queat universali Dei Misericordiâ & satisfactione Christi abundantissimè absorberi, tanquam mari inexhausto, juxta illud Mich. 7: 19. 8. Dum gratiam illam sive universalem sive indefinitam, quam vult extinctam nullo modo suam fidem vel spem remorari vel impedire debere ait, respondeo, primò quidem, multa dicuntur quæ non insunt; deinde, Aliud est, actu impedire, aliud jure non impedire debere, quò ipso fatetur tacitè se suosq; sub illâ particulari gratiâ cauteriatam circumferre conscientiam, quod erat demonstrandum.

15. Deniq; quum non usq; adeò firmam illam universalem commentitiam gratiam esse doceat D. Andreas,

quia

quia ab eâ possit quispiam excidere, ut qui ἀμεταμέλητον illam esse neget, & amitti penitus posse spiritum adoptionis contendat, ut in tractatione de Baptismo audivimus: annon ipsemet, quæso, quicquid antea superstruxerat, hoc dogmate subvertit, si negotium illi sit cum eo qui se à Fide & gratiâ Dei excidisse sibi persuadeat? Quam igitur ista vana & futilia sint, nemo non videt, quib. quæ sint opponenda ex puro Dei verbo deprompta, & quomodo sit predestinationis doctrinæ usus applicandus, sive undè petenda: & quomodo retinenda sit Electionis certioratio, plenissimè, ut modò diximus, in tractatu de Baptismo studuimus explicare.

Respondeo. α. Contra negantem, principia non esse disputandum, sapientèr movent omnes saniores Logici,

E e s

jam

441 DE CAUSSA MALI  
jam adversarius dictando Gratiam Dei  
universalem esse fictam & commentiti-  
am, Spiritui S. in os ait, Mentiris, Esa.  
45: 22. c. 49: 6. 1. Tim. 4: 10. Quod quàm  
fit non dicam vanum & futile per re-  
torsionem, sed maximè Blasphemum,  
vel Lippis & tonsoribus longè notissi-  
mum est.  $\beta$ . Dictat docere à gratiâ  
Dei excidere nonnunquam posse, &  
spiritum adoptionis amittere homines e-  
lectos, non posse *D. Andream* ijs qui ta-  
lia evenere, solidum præbere solati-  
um; dico: prædicare poenitentiam  
non est solùm perterrefacere per toni-  
tru legis, sed & vel maximè consola-  
ri attonitos & contritos, jucundâ Ev-  
angelii buccinâ, Exemplo *Natanis* pro-  
phetæ arguentis & erigentis, quinimò  
absolventis à peccatis Regem Davi-  
dem adulterum simul & homicidam,  
2. Sam. 12: 9. seqq.  $\gamma$ . Apostolus & unâ  
cum eo *D. Andreas* dicit dona Dei esse  
 $\alpha$  μεταμέλητα, cum tn. *Beza* scribat ne-  
gare *D. Andream*, Gratiam Dei uni-  
versalem esse  $\alpha$  μεταμέλητον: regitur n.  
Spiritu

spiritu vertiginis. *§.* Solatia de certio, ratione, ut vocat, Electionis piorum, à verbo Dei deprompta; sunt paulò ante allegata, expensa atq; ob levitatem, explora.

16. *Tantum nunc Christianum Le-*  
*ctorem velim, duplicem istius homi-*  
*nis errorem, de particulari, quam*  
*vocat electione, & occulto Dei decreto*  
*animadvertere. Enimverò, si parti-*  
*cularem illam vocat, quæ ad singulos si-*  
*ne exceptione homines pertineat, non*  
*ego sed ipse fuerit hujus particulari-*  
*tatis reus. Sin verò particularem ap-*  
*pellat quam universalitèr propositam*  
*oporteat singulos audientes sibi parti-*  
*cularitèr applicare, id ipsum facit quod*  
*in me reprehendit: eo in. excepto*  
*quod ille, & quidem falsò, universi-*  
*tatem istam ad totum humanum ge-*  
*nus nullo prorsus homine excepto ex-*  
*tendit*

tendit, ego verò ad solos Electos suam  
 Et ipsos universitatem constituentes  
 cum sacris literis restringo.

Respondeo: *a.* Contundere ad ver-  
 sarium studiosè Electionem cum i-  
 psa Vocatione. *β.* Errare eundem  
 horribiliter, errorem appellando, cum  
 S. scripturis & Christo docere Electio-  
 nem hominum ad salutem esse parti-  
 cularem. *γ.* Quod pertinet ad singu-  
 los sine exceptione homines, id est u-  
 niversale, nam includit omnes in u-  
 niversum, quomodo ergò illud per  
 particulare intelligat D. Andreas, quod  
 per se universale est sine contradic-  
 tione, non video, quod tn. falso & com-  
 mittendo ἀντιφασιν εἰς προσκειμένω, ut  
 loquitur Aristoteles, ipsi imponit Beza.  
 Deinceps, supponit idem adversa-  
 rius, D. Andream unà secum statuere  
 Electionē particularem; quam univer-  
 saliter propositam, auditores sibi par-  
 ticulariter applicant. Verum longè a-  
 liter sentit D. Andreas, admittendo u-  
 niversalem vocationem & particula-  
 rem

rém Electionem; *Beza* verò aliter negando sc. illam; hanc verò faciendo & universalem & particularem  $\delta$ . Dum igitur *D. Andreas*, quod falsum nominat *Beza*, universitatem ad totum genus humanum, nullo prorsus homine excepto extendit, loquitur de Gratiâ seu Misericordia Dei universali, neutiquam vero de Electione. Adversari ut a. loquitur de quâdam universalitate Electorum in se & suo circulo consideratâ, negat tñ. priorem, id est, Gratiâ universalem, adeoq; Gratiâ particularitatem statuit manifestissimè quomodocunq; se torqueat, nuncupando Electionem nunc universalem, nunc particularem, quod erat demonstrandû.

17. *Et quis hic non miretur hominem istum eò usq; tuenda istius sua sententia studio abreptum, ut non animadverterit quod de universali ad singulos sine ullâ exceptione homines pertinente prædicatione opinatur, locum habere in Sacramentis non posse? nisi fortassis istud etiam ausit affirmare, singulis totius Mundi hominibus offerri baptismi & cæne Domini participanda gratiam. Respondeo:*

a. Quia

a. Quid impediatur, quò minus, quibus-  
 eundem; offertur gratia vocationis, etiam  
 Regenerationis gratia offeratur simul,  
 non video; ideo n. omnes & singuli tot-  
 tius mundi homines vocantur ad Eccle-  
 siam cum mediata per notitias natura-  
 les Rom. 1:19, & famam; tum immediate  
 per verbum, ut baptizati suscipiant  
 Christianismum, justificentur ac salven-  
 tur. *β.* Coenæ Dominicæ alia est ratio,  
 quippè quæ communicanda est non o-  
 mnibus indiscriminatim, sed iis saltèm  
 in Ecclesiâ adultis qui se possunt & vo-  
 lunt probare. *γ.* Aliàs in genere verè  
 sic inferri potest; Quicumq; vocantur  
 ad Ecclesiam, vocantur etiam simul ad  
 participandum de omnibus Ecclesiæ  
 bonis, observatâ discretionem prænomi-  
 natâ: Atqui omnes homines, veni-  
 entes in hunc mundum vocantur ad  
 Ecclesiam: Ergo &c. Major probatur,  
 quia aequalia omnibus eadem parata sunt,  
 Matth. 22: 4. Minor p: quia Christus  
 illuminat omnem hominem venien-  
 tem in hunc Mundum Joh. 1:9.

18. *Occultum a. illud æternum Dei de-*  
*cretum*

eretur, quod iste ferre non potest (quo in-  
 sublato omnis Dei providentia, atq; adeò De-  
 us ipse necessario vel tollitur, vel à medijs  
 causis suspenditur) sæpè jam diximus occul-  
 tum à nobis vocari, primùm, quoniam o-  
 mnes medias causas sine exceptione antegre-  
 diens, imò illas ipsas omnes medias causas sibi  
 subordinans, à verâ illâ Dei voluntate pen-  
 det, cujus altitudo inscrutabilis est, &  
 ab ipsis etiam angelis adoranda. Deinde quòd  
 non nisi à posteriore, id est, per effecta nobis  
 patefiat; & tum demùm nobis esse occulta  
 non tò òti desinat, qua patefactio nobis suf-  
 ficere debet ac plenè sufficit: à Fidei videli-  
 cet & sanctificationis fructibus, id est, à displic-  
 centiâ peccati & operibus spiritus, ad justifica-  
 tionem & vera fidei ἀμεταμέλητον donum:  
 inde ad interiorem vocationem cum externâ,  
 id est, verbi prædicatione & sacramentorum  
 administratione conjunctam, ac deinceps ad  
 certissimam & omni quantumlibet vehe-  
 menti tentationi inexpugnabilem in Christo  
 prædestinationem ascendentibus, ut de certò  
 secutura nostrâ glorificatione certi, jam nunc  
 pacem in conscientijs nostris habeamus. Re-  
 spo-

Respondeo:  $\alpha$  non magis prima causa pendet  
 à secundis per Negationem occulti & æterni  
 decreti de quibusdam creandis ad peccandum  
 & destinandis ad damnationem, & assertio-  
 nem de universali gratiâ Dei per Christum o-  
 mnibus & singulis mundi hominibus offeren-  
 dâ, quàm si vel unicum saltèm hominẽ vel ut  
 ille ait, paucos statuisset Deus salvare per ver-  
 bũ & fidem, cæteris omnibus neglectis: nõ er-  
 gò tollitur providètia, sed stat nostrasentètia.  
 $\beta$  Aut tollit Deũ, qui facit eundem *μισάνθρω-  
 πον*, aut qui *Φιλάνθρωπον*, quia non da-  
 tur tertium: sed non hic, ergò ille, quod  
 redundat in *Bezam*.  $\gamma$ . Nullum de nostrâ sa-  
 lute occultum decretum agnoscimus, sed hu-  
 milimã veneratione exosculamur revelatum.  
 conf. Act. 20: 20. 21. 27. adeò ut altitudo illa ab  
 angelis adoranda, sita sit in Mysterio incar-  
 nationis Filij Dei non pro paucis sed omnibus  
 &c.  $\delta$ . Cætera, quæ de *πληροφορία* Calvini-  
 anâ operosè adfert, perunt principium sin-  
 gulà, si non committunt *ἀντίφασιν* εἰς *προσ-  
 κειμένω* e. g. quomodo se probabit inexpu-  
 gnabiliter prædestinatum ex istis signis quibus  
 gaudent etiã *πρόσκαιροι*, quamdiu statuit ma-  
 ximam partem hominum, quorum numero  
 timendum sibi erit fortaassis ne & ipse fuerit in-  
 elusus, inexpugnabiliter damnari.

Tantum.

Ad

*Præstantissimum ingenio & moribus*

RESPONDENTEM,

DN. MAGNUM HAMPNIUM,

Smolandum Austroburgensem,

Amicum, commilitonem ac ἀποχώρασιον  
meum perdilectum.

**M** *Alia mali, malo mala* contulit omnia  
Mundo,  
Elogium ut verum est, sic pietate  
vetus.

Scilicet antiquos seduxit & iste parētes,  
A seipso Genius perditus atq; *malus*:  
Vindicat aut summum scriptura sacrata  
*Jehovam*.

Ex omni culpā vel leviore *mali*;  
Dicitur ē contrā *Calvini* secta creatum  
Esse *malum*, videas, obstetricante  
*Mane*;

Quem fugiendo fugans tu nunc eris o-  
mine *Magnus*,  
Unde ortum traxit mox *Manichææ*  
domus.

L. M<sub>g</sub>.

P R Æ S E S.

*Modestia singulari & Eruditione  
Conspicuo Juveni*

DN. MAGNO HAMPTON Smolando,  
Amico sincerè dilecto de CAUSA MALI  
doctè Disputanti:

**D**E portu quarit sat tuto Navita cautus,  
Nepereat scopulis fermè propinqua raris.  
MAGNE mala usq; caves, Te sospitet indè Je-  
hova,

*Et portum monstret, qui fiet absq; malo!*

hæc pauca adposuit

L. Mq;

AXELIUS Kempe

---

Ad

JUVENEM

*Moribus & Eruditione conspicuum*

DN. MAGNUM HAMPTON Smoland:  
Amicum & Sympatriotam dilectum, de CAU-  
SA MALI eruditè disputantem

**A**Spidis infixum tumidæ virus redolenti  
Malo, per mundū, quis negat esse malum?  
Portio gustanti quamvis peramara remanset,  
Arguitur culti nec tamen Auctor agri!  
Gloria prima fiet, cultoris munera sacra-  
Perpendisse simul! Causa Mali fugiat!  
Invenies portum defendens Numina summa,  
Hamptn/ patriæ magnæ litora tuta. Vale!

L. Mq;

ELIAS Til-Gandj  
Med. Doct. & Prof.

Ad Virum

*Doctrinâ; Morumque elegantia præstan-  
tissimum.*

DN. MAGNUM HANNO Smol.  
Amicum & patriotam per dilectum,  
de Authore MALI contra Calvinianos  
strenuè doctèque disse-  
rentem:

**B**Eza sequax Calvinianum, perperam  
Odit Deum, vafri genus doctum dolis,  
Quis & Boni causam perennem clamitans  
Omnis Mali fontem sum ac originem,  
Doctoresque impingitans calumnias,  
Qui veritatem calicam custodiunt.  
HAMPNI, refellis luridas horum strophas,  
Orci docens Malum esse quodque surculum;  
Quod perpetrantes vindici tandem Deo  
Pœnas dabunt savas gehenna in ignibus.  
Quare manebit Te affatim sors gloria,  
Terris simul celestibusque in atriis!

L. Mq;

PETRUS LAURBECCHIUS  
Prof. Publ.

*Prestantissimo ac Pereximio*

DN. MAGNO HAMPTON/  
Amico & Sympatriotæ per dilecto,  
de Causa Mali eruditè disputanti.

**T**esta nuci quamvis dura & cortex  
sit Amarus,  
Illa tamen lapidum & dulce quid in-  
tus habet :

Sic quoque Doctrina & Speciosa scien-  
tia rerum,

Et quæcunque homines digna labore  
putant,

Difficili quamvis operâ & sudore pa-  
rentur,

Jucundo fructu post modò parta  
beant.

Hampn virtute igitur macte! en pia se-  
mina sparge,

Ut quondam dignè præmia larga  
metas.

*Hisce paucissimis L. Mg<sup>s</sup>  
applaudet.*

ZACHARIAS HORNEUS,  
*Smol. Stip. Reg.*